CLEMENTIS ALEXANDRINI

EXCERPTA EX THEODOTO

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN
UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE X MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCXCII HORA XII

DEFENDET

PAULUS RUBEN
HAMBURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT

OTTO HARTZ
LUDOVICUS RADERMACHER
JOHANNES WIRTZ

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCXCII

FRANCISCO BUECHELER

HERMANNO USENER

PROLEGOMENA.

Clementis Alexandrini excerpta ex Theodoto ὑποτυπώσεων partem esse censuit Bunsenus Analecton antenicaenorum t. I p. 159 sq. Valesium (ad Eusebii h. e. V, 11) secutus, qui argumentum non attulit, στρωματέων Zahnius (cf. supplementi Clementini = Forschungen zur geschichte des neutestamentlichen kanons t. III pp. 104—130), libri περὶ ἀρχῶν καὶ θεολογίας Lipsius (cf. Jahrbücher für protestantische theologie XIII, 604). Neque causam iudicii Bunseno fuisse video nisi eam, quod in codice Laurentiano haec excerpta octavum στρωματέων librum excipiunt: quod ὑποτυπώσεων exordium esse putavit, Heinsii sententiam secutus (cuius verba nunc legis in editionis Dindorfianae t. IV pp. 452. 453). Uterque logico huius libri argumento, quod plane abhorreret a theologica priorum librorum disputatione, eaque re nixus est, quod secundum Photium (bibliothecae cod. 111) in nonnullis stromatum exemplaribus septem tantum libri legebantur. Atque dialectico illo prooemio hypotyposibus opus fuisse, ut probarent, Heinsius quidem exegetico huius libri fundamento, quod totius operis finem fuisse scimus, dogmaticam partem superstructam esse putavit: id quod nemo, credo, probare poterit; Bunsenus autem librum περὶ ἀρχῶν pri-

mam ὑποτυπώσεων partem esse ratus utrumque librum confudit. Quod quo iure fecerit, ut diiudicare possimus, infra conabimur explicare, quaenam opera Clemens, cum stromatum libros IV—VII conscriberet, edere in animo habuerit. Interim haec sufficiant: 1) Bunsenus librum, de quo agitur, ab ὑποτυπώσεων corpore antiquitus avulsum esse putat, haereticae pravitatis ab orthodoxis incusatum[1]), eoque factum esse, ut ὑποτυπώσεων libri II—VIII fierent I—VII. Atqui Eusebius h. e. VI, 13 et Photius utriusque operis octo libros noverunt. 2) Photius p. 89[a], 15 Clementem dicit in hyp. τὸν υἱὸν εἰς κτίσμα κατάγειν: Clemens in excerptorum cap. 33: ἔστιν οὖν ὁ λόγος οὗτος (scil. Valentinianorum) παράκουσμα τοῦ ἡμετέρου, ἐκ τοῦ ὑποκειμένου πρωτότοκον λέγων τὸν σωτῆρα.

Neque multo aliter Zahnius egit, qui, cum Eusebii (et Hieronymi) Photii ceterorum (quos vide l. i. p. 28[2]). 29) testimoniis nixus octavum stromatum librum et eclogas propheticas stromatis adiungeret, idem in excerpta cadere, quae inter utrumque librum in codice Laurentiano leguntur, iudicaret. Ac de eclogis quidem posthac disseremus, octavum autem stromatum librum, quem ipse Clemens p. 326, 16 Sy III, 349, 18D[3]) aliquo vinculo cum prioribus coniungi dicit (τῶν ἑξῆς

1) Photii codex 111 p. 89[b], 35 αὕτη δὲ ἡ τῶν στρωματέων βίβλος ἐνιαχοῦ οὐχ ὑγιῶς διαλαμβάνει, sed αὕτη ἡ βίβλος verba non octavum librum, immo totum stromatum opus significant cf. Zahn. l. i. p. 107.

2) Quod ex Maximo de παρθένων φθορᾷ affertur fragmentum, fortasse aliquando post eclogarum cap. 14 locum tenuit.

3) Hisce siglis editiones Sylburgii et Dindorfii indico.

ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς ποιησόμεθα τὸν λόγον[1])), cuiusnam argumenti exordium esse voluerit, quaerendum est.

Gravissimae sunt quarti stromatum libri paragraphi 1—3 (203, 37—204, 13 Sy II, 315, 1—316, 26D). Quarum primam exscribo: *ἀκόλουθον δ' ἂν οἶμαι περί τε μαρτυρίου διαλαβεῖν καὶ τίς ὁ τέλειος, οἷς ἐμπεριληφθήσεται κατὰ τὴν ἀπαίτησιν τῶν λεχθησομένων τὰ παρεπόμενα καὶ ὡς ὁμοίως τε φιλοσοφητέον δούλῳ τε καὶ ἐλευθέρῳ κἂν ἀνὴρ ἢ γυνὴ τὸ γένος τυγχάνῃ τά τε ἑξῆς περί τε πίστεως καὶ περὶ τοῦ ζητεῖν προσαποπληρώσαντες τὸ συμβολικὸν εἶδος παραθησόμεθα, ἵν' ὡς ἐν ἐπιδρομῇ τὸν ἠθικὸν συμπερανάμενοι λόγον κεφαλαιωδῶς παραστήσωμεν τὴν εἰς Ἕλληνας ἐκ τῆς βαρβάρου φιλοσοφίας διαδοθεῖσαν ὠφέλειαν. μεθ' ἣν ὑποτύπωσιν ἥ τε πρὸς τοὺς Ἕλληνας καὶ ἡ πρὸς τοὺς Ἰουδαίους κατ' ἐπιτομὴν τῶν γραφῶν ἔκθεσις παραδοθήσεται καὶ ὅσα ἐν τοῖς πρὸ τούτου στρωματεῦσι κατὰ τὴν τοῦ προοιμίου εἰσβολὴν ἐν ἑνὶ προθεμένους τελειώσειν ὑπομνήματι τῷ πλήθει τῶν πραγμάτων ἀναγκαίως δουλεύσασι περιλαβεῖν οὐκ ἐξεγένετο.* Promiserat igitur Clemens totius operis prooemio, quod nunc non servatur, ea omnia se uno libro absoluturum esse, quae nunc tribus primis libris leguntur; sed ne hisce quidem totam materiem amplexus, earum, quas nondum aggressus est, rerum tractationem, scripturarum dico et singularium quarundam quaestionum (*καὶ ὅσα* eqs.) ad finem totius operis relegat. Nam *τούτου* ver-

---

1) *τῶν ἑξῆς* est „rerum, quae sequentur", noli „stromatum" supplere (ut Zahnius p. 107 not. 3); ceterum cf. Cl(emens) 320, 16 Sy III, 329, 26D *τὸν ἑξῆς στρωματέα.*

bum (*ἐν τοῖς πρὸ τούτου στρωματεῦσι*) ad quartum librum referendum est.

In quo proposito, quatenus Clemens permanserit, egregia disputatione Zahnius (l. i. p. 109—114) explicavit, libros *περὶ ἀρχῶν* et *περὶ προφητείας*[1]) (strom. IV cap. 2. 3) recte a stromatis disiunxit. Sed non tractantur hodie in eo opere duae illae res, quas ad ultimum finem a Clemente relegatas esse vidimus. Neque vero *τῆς τε πρὸς τοὺς Ἕλληνας καὶ τῆς πρὸς τοὺς Ἰουδαίους κατ' ἐπιτομὴν τῶν γραφῶν ἐκθέσεως* oblitus est, cum p. 312, 12 Sy III, 329, 21 D scriberet ... *ἀκόλουθόν ἐστι πρὸς τὰ ὑπὸ Ἑλλήνων καὶ Ἰουδαίων ἐπιφερόμενα ἡμῖν ἐγκλήματα ἀπολογήσασθαι*, quod cur *ἀκόλουθον* dicat, nemo intelleget, nisi ex ipso quarti libri prooemio. Itaque ultimis septimi libri capitibus ea omnia e medio tollere vult, quae promissis illis *ἀποριῶν λύσεσι*[2]) (p. 320, 15 Sy III, 329, 26 D) impedimento esse

1) De hoc libro bipartito (cf. Cl 203, 49—204, 3 Sy II, 315, 22—316, 8 D) praeter eos locos, quos Zahnius p. 45. 46 attulit, cogitare videtur Cl 322 Sy III, 336. 337 D; certe eam partem, qua ratas esse scripturas ostendere in animo habuit, nondum scriptam esse, ex 322, 13. 26 Sy III, 336, 7. 29 D apparet: haeretici enim hoc quasi ultimo latibulo se abdunt, ut scripturarum nonnullas reiciant, ceteris a fidelibus iam expulsi.

2) Quod ex brevi scripturarum expositione quaestiones quaedam factae sunt scripturis adhibitis solvendae (cf. p. 321, 19. 20 Sy III, 333, 8—10 D), non mirabitur, quicunque Clementis inconstantiam novit; idem consilium quasi in cunabulis vides initio secundi stromatum libri p. 154, 49—51 Sy II, 145, 19—23 D *ἐπὶ τούτοις ἀκόλουθον οἶμαι ὑπὲρ ὧν κατατρέχουσιν ἡμῶν Ἕλληνες ἀπολογήσασθαι ὀλίγαις συγχρωμένους γραφαῖς, εἴ πως*

possint (*διακαθάραντας τὰ ἐμποδών*), ipso fine eius libri (p. 326, 5 Sy III, 348, 30 D) promisso se staturum esse asserit. Optime igitur octavi libri initio illarum *λύσεων* quasi institutiones praemisit, artem dico dialecticam[1]), cuius libri partem tantum a Clemente confectam esse recte Zahnius conclusit (l. i. p. 107) ex triplici forma, qua stromata olim tradebantur (1. sine octavo libro, 2. cum octavo libro, 3. cum parte eius libri, cf. Zahn. l. i. pp. 105. 106. 116) et quod nulla ultimi libri subscriptio extat. Summa autem, quam Clemens tractaturus erat, quaestio in Salvatoris apparitione versabatur: p. 262, 27—29 Sy III, 122, 3—6 D.

De quo proposito cogitare videtur, quod p. 297, 12. 13 Sy III, 251, 12. 13 D *κατὰ τοὺς ἐπικαίρους τόπους ὕστερον ταῖς γραφαῖς συγχρήσεσθαι* se dicit, de Salvatore disputaturus, cf. p. 297, 21 Sy III, 252, 6. 7 D: *μαρτυροῦσιν δὲ περὶ κυρίου ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται.* Nam etiam *ἀπορίας* illas scripturis nixus debuit solvere p. 321, 7. 19. 20 Sy III, 332, 16. 333, 10 D.[2]) Negat autem (p. 297, 15 Sy III, 251, 17 D) prophetarum verba a quoquam intellegi posse, nisi prophetici sermonis indolem calleat.

Eidem fundamento superstruere vult Clemens p. 288, 32—34 Sy III, 220, 29—221, 2 D *τὴν γνωστικὴν ἀγω-*

ἠρέμα καὶ ὁ Ἰουδαῖος ἐπαΐων ἐπιστρέψαι δυνηθείη ἐξ ὧν ἐπίστευσεν εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσεν.

1) Similem sententiam Zahnius l. i. pp. 113. 114 protulit; cf. etiam Reinkens, de Clemente presbytero Alexandrino pp. 239—245.

2) Ceterum libro septimo *τὸν χριστιανισμόν*, i. e. Christiani vel potius gnostici statum naturamque describere vult p. 297, 13 Sy III, 251, 14. 15 D: id quod fecit.

γήν, i. e. gnosticam doctrinam.[1]) Dicit enim: προϊούσης δὲ τῆς γραφῆς τοὺς προειρημένους ὑπὸ τοῦ προφήτου τρόπους καθ' ἑκάστην περικοπὴν σημειωσάμενοι παραστήσομεν τὴν γνωστικὴν ἀγωγὴν κατὰ τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα φιλοτέχνως ἐνδεικνύμενοι. Doctrinam autem illam, quam προϊούσης τῆς γραφῆς expositurum se esse promittit, nullo modo dicere potest singularum quaestionum solutiones octavo libro destinatas. Immo non dubito, quin librum περὶ ἀρχῶν dicat[2]), qui ἀπὸ τῆς προφητευθείσης γενέσεως (p. 204, 11 Sy II, 316, 21 D) initium capturus libri quarti quidem prooemio prorsus separatur a stromatis, libri sexti fine (p. 296, 49—52 Sy III, 249, 11—16 D) ita distinguitur, ut hominis gnostici describendi alteram partem efficiat, in libro vero septimo (p. 312, 2—4 Sy III, 303, 4—8 D) cum stromatis coniungitur (τὸν βίον γὰρ τοῦ γνωστικοῦ διαγράφειν ἡμῖν πρόκειται τανῦν, οὐχὶ τὴν τῶν δογμάτων θεωρίαν παρατίθεσθαι, ἣν ὕστερον κατὰ τὸν ἐπιβάλλοντα καιρὸν ἐκθησόμεθα, σῴζοντες ἅμα καὶ τὴν ἀκολουθίαν). Rectus enim ordo nisi in eodem libro servari nequit. Etiam de angelis cum προϊούσης τῆς γραφῆς se disputaturum dicit (p. 268, 17 Sy III, 153, 22 D), vix alium locum indicat, quam librum περὶ ἀρχῶν.[3])

---

1) Non disciplinam; cf. p. 287, 5 Sy III, 216, 3 D; excerptorum cap. 5 adnot. Quae verbi vis derivata est ab ea significatione, qua est schola philosophica.

2) Cf. verba simillima (p. 204, 8. 9 Sy II, 316, 17. 18 D) ἡ γοῦν κατὰ τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα γνωστικῆς παραδόσεως φυσιολογία.

3) Huic operi fortasse simile exordium praemittere voluit atque octavo στρωματεῖ (p. 278, 10. 11 Sy III, 186, 12—16 D).

Sed verbis supra allatis (p. 288, 32—34 Sy III, 220, 29—221, 2 D) non solum hoc de principiis opus spectat, sed etiam continuam quandam propheticae scripturae interpretationem. Quod cum *καθ' ἑκάστην περικοπὴν σημειωσάμενοι* verba mihi videantur innuere, libri *ὑποτυπώσεων*, quas nunc dicunt, conscribendi primam hoc loco mentionem deprehendo. Neque solum multo ampliorem materiem libris stromatum Clemens amplexurus est, quam initio libri quarti in animo habuit, sed libros *περὶ ἀρχῶν* et *ὑποτυπώσεων* aliquo modo etiam inter se coniungere voluit, id quod re vera factum esse Bunsenus putavit (cf. p. V).

Hanc sententiam ea re fulcire potuit, quod *ὑποτυπώσεων* opus duabus partibus constabat, quarum altera tantum in continua utriusque testamenti expositione posita erat. Dicit enim Photius (cod. 109, p. 89[a], 9—12): *αἱ μὲν οὖν ὑποτυπώσεις διαλαμβάνουσι περὶ ῥητῶν τινων τῆς τε παλαιᾶς καὶ νέας γραφῆς, ὧν καὶ κεφαλαιωδῶς [ὡς] δῆθεν ἐξήγησίν τε καὶ ἑρμηνείαν ποιεῖται*, ubi *ὧν* refer ad *τῆς τε παλαιᾶς καὶ νέας γραφῆς*. Nam quod compendiosam tantum interpretationem fieri consentaneum esse dicit (*δῆθεν*), non perspicies, nisi totum sacrae scripturae corpus a Clemente tractatum esse sumpseris. Priorem autem illam partem, qua de singulis dictis egit, non solum de libro *περὶ ἀρχῶν* intellegere possumus, sed etiam de *ἀποριῶν* illis *λύσεσι* et de opere *περὶ προφητείας*, quod et ipsum locis sacris usus condere Clemens volebat (p. 204, 1—3 Sy II, 316, 5—8 D). Quae omnia a me non probari postea videbis. Propositorum enim confusionem sic, credo, Clemens evitavit, ut de principiis seorsim dis-

sereret (cf. de divite servando c. 26 = III, 404, 16—19 D, vide Zahnium l. i. p. 38[1])), octavum librum ad finem non perduceret, ex libro *περὶ προφητείας* fortasse illas, quarum hodieque fragmenta extant, *ὑποτυπώσεις* efficeret (cf. Zahn. l. i. pp. 46. 133). Sed de testimoniis veterum, quibus nisus Zahnius (l. i. p. 29) etiam eclogas partem stromatum esse velit, quidnam censebimus?

Duae eclogarum partes distinguendae sunt plane diversae, quas exegeticam et dogmaticam dico. Atque dogmatica quidem capita argumentorum similitudine inter se coniuncta sunt: Multa de viro gnostico eiusque moribus profert Clemens, quam rem semper in deliciis habebat: capp. 27 (p. 347, 33 Sy III, 466, 19 D sq.), 28—31, 34—37, 45; de ea via, qua nos ad Deum perveniamus, capp. 12, 14, 15, 19, 20; a Deo salutem ita ad nos pervenire, ut etiam humanae naturae ratio habeatur capp. 16—18, 22, 23; de passionum emolumento loquitur capp. 9—11, 40[2]); de quaestu cap. 47; veterum traditiones capp. 9, 27, 50 legis. Horum tantum capitum verba Zahnii doctrina invenit apud posteriores scriptores memorata, quinque autem ex capitibus tria referri ad octavum *στρωματέα*. Recte, ni fallor. Tenere mihi videor ultimum stromatum caput, quo reposuerat scriptor, quibus suum locum dare nesciret, cf. p. 203, 44 Sy II, 315, 13 D (*καὶ ὅσα* sq.).

---

1) Hoc loco, quod Clemens verba Marci 10, 25 ad Christum refert, aut illos videtur sequi, qui Filium Bythi ut aquam per fistulam transiisse dicerent, cf. Cl p. 276, 10—13 Sy III, 179, 26—180, 6 D, aut de ev. Ioh. 20, 19 (*διὰ θυρῶν κεκλεισμένων*) cogitat.

2) ubi lege *ἐπιῤῥοίᾳ* pro *ἀποῤῥοίᾳ* (Usener), *κακοῦ* pro *κακοῦνται*.

Partis exegeticae quasi prooemium legitur cap. 32 (et 33). Id enim studet Clemens, ut Sancti Spiritus de unaquaque re sententiam ex sacra scriptura inveniat, grande revera propositum. Cui inserviunt capp. 1—8, 24—26, 46, 51—63. Quo cum fine ipsam interpretationem coniunctam esse, capp. 51—63, quae in psalmo 19 versantur exponendo, (et ps. 20, cf. fragmentum Augustanum) argumento sunt. Neque quisquam non videt, haec capita aliquo vinculo cum excerptis ex Theodoto cohaerere vel cum ultima excerptorum parte (capp. 69—86): cf. ecl. cap. 7 (p. 345, 8—10 Sy III, 458, 7—10 D) cum exc. cap. 83, ecl. cap. 8 cum exc. cap. 81, ecl. cap. 24 cum exc. cap. 86, ecl. cap. 55 cum exc. capp. 11, 69, 70; ita autem diversa esse, ut excerptorum dicendi genus brevius obscurius accuratius, eclogarum liberius laxiusque sit. Itaque exegeticam partem ex libro desumptam esse credo, qui conscriberetur, cum excerpta illa iam comparata essent, hypotyposes dico; quas bipartitas fuisse supra vidimus; ex priore igitur parte illa, quae iam attuli, capita hausta esse puto, ex posteriore eclogarum capp. 13, 38, 39, 41—44, 48, 49. Cui sententiae favere sciunt viri docti non solum locum Eusebii (h. e. VI, 11, 2): *ὀνομαστὶ ἐν αἷς συνέταξεν ὑποτυπώσεσιν ὡσὰν διδασκάλου τοῦ Πανταίνου μέμνηται* (sc. Clemens)[1]), sed etiam Clementis verba a Photio (cod. 109 p. 89ᵃ, 24—28) allata huc faciunt: *λέγεται μὲν καὶ ὁ υἱὸς λόγος, ὁμωνύμως τῷ πατρικῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ σὰρξ γενόμενος· οὐδὲ μὴν ὁ πατρῷος λόγος, ἀλλὰ δύναμίς τις τοῦ θεοῦ, οἷον ἀπόῤ-*

1) Idem Photius tradit.

ῥοια τοῦ λόγου αὐτοῦ, νοῦς γενόμενος τὰς τῶν ἀνθρώπων καρδίας διαπεφοίτηκε. Habes merum docetismum, qui summum Verbum idem esse atque Salvatorem neget; cf. exc. cap. 8 p. 336, 3 Sy III, 428, 1 D 6, 2. 3 R(uben); habes duo Verba, quae differre inter se ut probaret, Clemens vel Clementis auctor scripturis sine dubio usus est (cf. quae apud Photium leguntur); de duobus autem Verbis, utrum differant necne, dimicatum esse inter eos apparet, quibus Clemens in excerptis congerendis utebatur; nam verbo ὁ ἐν ταυτότητι λόγος (capp. 8, 19) alterius partis sententia innuitur; habes vere mysticam doctrinam, Verbum non in Salvatore, sed in nostris cordibus carnem factum esse; cf. exc. cap. 27 p. 338, 47. 48 Sy 437, 17—19 D 17, 12—14 R: τὸ θεοφόρον γίνεσθαι τὸν ἄνθρωπον προσεχῶς ἐνεργούμενον ὑπὸ τοῦ κυρίου καὶ καθάπερ σῶμα αὐτοῦ γινόμενον. Neque omnino miraberis, quod apud Clementem tenes haereticum, si audiveris Photium pergentem: καὶ ἄλλα δὲ μυρία φλυαρεῖ καὶ βλασφημεῖ, εἴτε αὐτὸς εἴτε τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον ὑποκριθείς. Hunc ἕτερον neque Pantaenum esse credo neque haereticum interpolatorem, ad quam sententiam quasi ultima interpretandi ratio refugiet, sed ipse Clemens initio totius libri videtur promisisse, etiam haereticorum doctrinae in interpretatione, quantum fieri posset, locum se daturum esse: id quod etiam in illa eclogarum capita quadrat.[1])

1) In eclogarum argumento definiendo non licuit a titulo proficisci, quia sub eo nomine omnium rerum farrago congesta est. Titulus desumptus esse videtur a priore ὑποτυπώσεων parte. Propheticae enim eclogae dici poterant ad quemlibet finem e scripturis loci excerpti digesti explanati.

Summa haec est: eclogae, ut nunc servantur, ex duabus partibus compositae, suum in codice locum tenent non eam ob causam, quod octavi στρωματέως fragmenta amplectantur. Ergo non potest probari excerpta ex Theodoto, quae inter octavi στρωματέως reliquias et eclogas legantur, στρωματέων partem esse. Iam ceterae, quibus Zahnii sententia fulcitur, causae, quid valeant, quaerendum est. Nam excerptorum ex Theodoto nusquam apud veteres mentio fit, id quod iam Lipsius vidit (l. i. p. 604).

Ac primum quidem Zahnius, cum singula verba, quibus titulus excerptorum constat, optime pleneque explicet, ἐπιτομὰς vocem neglegit, ex qua nemo non efficiet haec excerpta sive nunc plena leguntur, ut a Clemente conscripta erant, sive manca traduntur, ab ipso Clemente composita esse, si quidem Clementis sunt[1]), non vero excerpta significari ex opere Clementino. Itaque multo maior horum exc. pars Valentinianis, non Clementi, tribuenda est, quam Zahnius putavit. De qua re infra disputabimus. Neque dicendi genere expolito Zahnii sententia fulciri potest (l. i. p. 118), nam exc. capp. 43—65 ex haeretico libro desumpta esse Irenaei opus clamat, sermo elegans non refutat. Adde, quod excerpta cum octavi stromatis proposito non congruunt; neque enim versantur in quaestionibus solvendis scripturarum expositione adhibita, neque Clementis plerumque, ubi quidem in interpretatione versantur, sed Valentinianorum expositiones referunt, neque ad Iudaeos aut Graecos usquam faciunt refellendos, immo

1) Cf. exc. cap. 4 p. 335, 13—16 Sy III, 425, 16—21 D 2, 23—3, 3 R cum strom. libro VII, p. 298, 9—12 Sy III, 254, 17—22 D.

ne haeretici quidem, nisi, ut ita dicam, in margine reprehenduntur.

Ex ipsorum exc. indole res diiudicanda est. In qua quidem re Heinricii sententia (die valentinianische gnosis und die heilige schrift pp. 88 sq.) non multum a vero abesse mihi videtur. Praetereo nunc exc. capp. 10—18, 29—42, 43—65, 69—85 quibus adde capp. 27 et 86 — nam hisce haereticorum traditur doctrina, qualem libri arteficiose conscripti praebebant Clementi —, praetereo capp. 4, 5, 9, ab ipso Clemente fortasse confecta. Sed in ceteris capitibus mira plerumque ratione excerptor usus est: debuit sine dubio proficisci persaepe ab interpretatione scripturarum haeretica: voluit indagare haereticorum de singulis locis theologicis sententias. Sic capp. 1—3 de electo semine loquitur, capp. 6—8, 19, 20 a prologo Iohanneo profectus de ratione, quae inter Patrem et Unigenitum, inter Unigenitum et Salvatorem intercedat, capp. 21, 22 de angelis, cap. 28 de Deo vindice, capp. 67, 68 de superiore Femina. Iam vides haec capp. 67, 68 cum doctrina eorum, quae secuntur (69—85), sic cohaerere, ut capp. 79, 80 ad Feminam illam revertantur: intelleges, quid factum sit. Debuit enim Clemens Valentinianorum doctrinam perscrutaturus fontem adire uberrimum, scripta dico exegetica; ex quibus cum conscriberet sententiarum delineationem, factum est, ut nusquam unam eandemque doctrinam haereticorum exprimeret, quam Lipsius restituere conatus (l. i. pp. 629—640) gravissime saepe erravit. Nam haeretici parvo, ut ita dicam, dissimilium sententiarum capite plurimas sibi usuras comparaverunt, cum doctrinam ad scripturas alias aliter accommodarent.

— Ceterum similiter haereticorum de moribus sententias a Clemente investigatas esse ex stromatis tertii paragraphis 1—3 (p. 183, 11 Sy II, 243, 2—245, 9 D) apparet. — Exegetico fundamento carent, eiusdem vero argumenti doxographici sunt exc. capp. 23 (de paracleto), 24 (de Spiritu Sancto), 25 (quod definitiones continet), 26 (de Iesu naturis), 66 (de Salvatoris sermonibus).

Itaque credo haec excerpta eam ob causam collecta esse, ut librorum *περὶ ἀρχῶν καὶ θεολογίας* quasi fundamenta essent.[1]) Quem librum ante orationem illam de divite servando, post stromata conscriptum esse constat. Libros autem haereticos excerpsisse videtur Cl, cum stromata conficeret. Nam in stromate tertio (p. 185, 28 sq. Sy II 251, 12 sq. D) sic se revocat ab eorum, qui *τὴν γένεσιν κακίζουσιν*, refutatione, ut iam collegisse videatur thesaurum haereticae doctrinae[2]), quam aliis libris alia ex parte refelleret. Et in strom. VII p. 298, 10 sq. Sy III, 254, 17—22 D paene eadem profert, atque exc. cap. 4. — Sed quae exc. cap. 17 p. 337, 18. 19 Sy III, 432, 15. 16 D 11, 11. 12 R (cf. versus 20—22 Sy 18—21 D 15—17 R) contra Valentinianos pugnando negat Cl, scilicet spiritus cum anima mixturam fieri, ipse aliquando docuerat in paedagogo (p. 65, 41. 42 Sy I, 230, 12. 13 D): *ἀναλόγως τοίνυν κίρναται ὁ μὲν οἶνος*

1) Similiter iam Lipsius iudicavit: vide p. V.

2) Quod Cl p. 185, 36 Sy II, 251, 24 D de *μετενσωματώσεσιν* in libro *περὶ ψυχῆς* se acturum esse dicit, hanc autem Basilidis doctrinam exc. cap. 28 tangit, minoris momenti est, nam ille liber num unquam conscriptus sit, incertum est; idem argumentum cum illa *περὶ ἀρχῶν* doctrina coniungit Cl p. 217, 38 Sy II, 365, 1—3 D.

τῷ ὕδατι, τῷ δὲ ἀνϑρώπῳ τὸ πνεῦμα; ergo interim Cl doctrinam ab imaginum fuco purgaverat.[1]) Cur vero Heinrici (l. i. p. 13) excerpta multo prius a Clemente facta esse censeat, causas, quae sufficiant, non video. Errasse enim virum doctum, cum capp. 8—18. Valentinianis abiudicaret (l. i. p. 89), nunc exponam.

Nam praeter illa, quae Cl paucis locis inspersit excerptis, de capp. tantum 4, 5, 9, 10—18, 27 dubitatio nasci potest, num Valentinianam doctrinam exhibeant. Atque capp. 4, 5 quidem haereticis erroribus vacare videntur. Sed p. 335, 13 Sy III 425, 14 D 2, 18. 19 R ἥτις (scil. ἡ ἐκκλησία) ἐστὶ τὸ γένος τὸ ἐκλεκτόν verbis aut Isaiae locus (43, 20) ad ecclesiam refertur, id quod iam Petri epistula prior fecerat (2, 9), aut haec epistula respicitur: utriusque rei cum hoc loco non videam causam, gnosticae artis vocem propriam me deprehendere credo, cui rei et praedicati articulus argumento est.[2]) Et quae hisce duobus capp. legis, tam breviter et perspicue proferuntur, tamque diversa a Clementis laxo et effuso genere dicendi, ut haec quoque ex haereticorum scriptis excerpta potius quam illius inventa esse putem. Quod in strom. VII p. 298, 9—12 Sy III, 254, 17—20 D plane eadem tenes atque exc. cap. 4 p. 335, 13—16 Sy III, 425, 16—21 D 2, 20—3, 2 R, noli oblivisci, aliis quoque locis quam multa Cl ab haereticis mutuatus sit. — Capitis

1) Cl III, 412, 28 D si recte correctum est ἀνεκράϑη, reputa homiliam non esse doctrinae expositionem.

2) Ita enim docuerunt Valentiniani de universa ecclesia (cf. exc. p. 336, 3 Sy III, 428, 2 D 6, 4 R coll. Irenaeo I p. 78 Harvey, exc. cap. 41); neque igitur illo enuntiato Cl tecte notat haereticos, qui ecclesiam et electum genus dividant.

exc. noni argumentum ut Clementi ita Valentinianis valde tritum erat; cf. Cl p. 298, 29—31 Sy III, 255, 28—30 D cum exc. p. 336, 11. 12 Sy III, 428, 15—18 D 6, 19—22 R; quid quod Cl vocatis electisque melius genus novit p. 195, 21—23 Sy II, 285, 21—23 D? Valentinianorum rursus de eadem re sententias e scripturis probatas praebet Iren. I pp. 71. 72 Harvey; hisce totum caput tribuendum esse etiam e singulis locis allatis probatur. Neque enim Ioh. 2, 16 verba cur significent vocatos dixeris, nisi τὸν οἶκον τοῦ πατρός eodem modo intellegi sumas, quo τὸ ἱερὸν (Ioh. 2, 15) verbum ab Heracleone (p. 480, 22—29 ed. Hilgenfeld in historia haereticorum, fr. 13 p. 68, 5—11 ed. Brooke), scil. ut pleroma esset: quo qui intrarent, psychicos non esse dignos. Deinde τὸ φῶς τοῦ κόσμου electos esse secundum haereticos ex Iren. I, p. 52 Harvey apparet. Liceat addere, quod exc. p. 342, 25 Sy III, 449, 11 D 31, 10. 11 R eadem sententia profertur atque cap. nono p. 336, 12 Sy III, 428, 18 D 6, 21 R.[1])

In capite 27 illustrando ea afferam, quae similiter apud Clementem leguntur; sed hisce duabus causis commoveor, ut totum caput haeretici fetum esse putem: 1) p. 338, 33 Sy III, 436, 22 D 16, 12 R τὸ ὥσπερ σῶμα τῆς ψυχῆς nihil aliud est, nisi σαρκίον illud haereticorum; cf. exc. p. 341, 10. 13 Sy III, 445, 5. 9 D 26, 12. 17 R. — 2) Valentiniani confundunt duplicem statum animae salvandae: exc. p. 337, 47 Sy III, 434, 10 D 13, 15. 16 R animae feminae non solum ipsae ἀπαν-

1) Ut exc. p. 336, 7 Sy III, 428, 9 D 6, 12 R liberum electorum arbitrium esse negatur, sic etiam a Clemente p. 308, 34 Sy III, 292, 7 D.

δροῦνται, sed etiam coniugum loco cum viris angelis coniunguntur; sic hoc capite p. 338, 44 Sy III, 437, 11 D 17, 6 R anima dicitur non iam *νύμφη* sed *λόγος* esse (cf. p. 338, 23 Sy III, 436, 3 D 15, 18. 19 R), i. e. *ἀπηνδρῶσθαι*, statim vero post *καταλύειν παρὰ τῷ νυμφίῳ*. — Ceterum iam dixi Clementem in stromatis quam maxume haereticorum sententias saepe ita protulisse, ut ipsius esse videantur; sed unum cap. 27 excerptorum titulo non respondere, quis credet?

Capitum 10—18 is finis est, ut etiam spiritales et intellectuales substantias non incorporeas esse ostendatur: p. 336, 14—17 Sy III, 428, 22—27 D 7, 1—7 R. Ubi haec insunt Valentinianae doctrinae vestigia: p. 336, 17 Sy III, 428, 28 D 7, 7 R *τὸ γενητὸν* etiam Filius habere significatur (cf. 336, 14 Sy III, 428, 23 D 7, 2 R: *οὐδ' αὐτός*): aliter Cl loco iam saepius prolato p. 339, 17. 18 Sy III, 438, 30. 31 D 19, 3—5 R. — p. 336, 24 Sy III, 429, 12 D 7, 19. 20 R quod *οἱ πρωτόκτιστοι* a Deo per Filium, non a demiurgo perfectam naturam accepisse dicuntur, intelleges inspecto cap. 47 (p. 340, 33. 34 Sy III, 443, 10—12 D 24, 6—8 R), ubi septem illi ante demiurgum a matre creantur, per quam Iesus operatur (Iren. I, p. 42 Harvey). — p. 336, 30. 31 Sy III, 429, 24—26 D 8, 10. 11 R, verba, utut restituis, certe respicit Cl p. 338, 15—18 Sy III, 435, 17—20 D 15, 3—6 R eo fine, ut pugnare inter se ostendat haereticorum sententias; ergo etiam haec Valentiniana sunt.[1]) — p. 336, 46. 47 Sy III, 430, 25. 26 D 9, 15 R *τὸ φῶς τῶν ἀν-*

1) Ipsam sententiam intelleges coll. Iren. I, pp. 58 et 65 Harvey.

θρώπων, τῆς ἐκκλησίας δηλονότι cf. Iren. I, p. 78 Harvey. — p. 336, 51. 52 Sy III, 431, 5—7 D 9, 23—25 R Cl intellegere conatus ea verba quae antecedunt putat referenda esse ad Christi electorumque ex una materia (Sophiam dicit) originem; verba ὡς τοῦ αὐτοῦ τέλους τευξομένων fortasse ipsius Clementis sententiam exprimunt, cf. p. 337, 33. 34 Sy III, 433, 11—14 D 12, 13—16 R. — p. 337, 5. 6 Sy III, 431, 16—18 D 10, 9—12 R. iam Bernaysius verbum σῶμα vidit ad animam trahi, ut sit σῶμα ψυχικόν; quam haereticam interpretationem legis exc. cap. 51 p. 341, 14 Sy III, 445, 11 D 26, 19. 20 R. Sed vide, quantum differant Clementis sententiae a capite 14[1]) exc. p. 337, 3 Sy III, 431, 12 D 10, 6 R: καὶ ἡ ψυχὴ σῶμα dicitur; plane diversum Cl p. 295, 47 —49 Sy III, 246, 6—8 D; novit Cl τοῦ σαρκίου (i. e. τοῦ ψυχικοῦ σώματος, cf. exc. capp. 51. 52) vocem et notionem[2]), sed ni fallor ex Pauli epistula ad Romanos (cap. 7); neque enim servari dicit τὸ σαρκίον in morte (exc. capp. 14. 52), sed perire: pp. 271, 16 Sy III, 163, 27 D; 272, 28 Sy III, 167, 27 D; servari autem solam animam (etiam peccatorum): p. 270, 50. 51 Sy III, 162, 25. 26 D, cf. p. 194, 17 Sy II, 282, 3 D (ubi scripturam torquet); p. 271, 21. 22 Sy III, 164, 6—8 D (item); itaque Valentiniani occidentales Paulina σαρκίου notione melius usi quam Cl ecclesiae et philosophorum sententiis conciliatis alterum corpus perire dice-

1) Quod cap. 81 diversa de daemonibus leguntur, reputa dualismum illum, quo nituntur capp. omnia 69—86.

2) p. 289, 36. 37 Sy III, 224, 13. 14 D; p. 317, 28 Sy III, 320, 27 D.

bant, ut Graeci, alterum negabant, ut scripturae. — Capitis 16 forma fortasse argumento est non ipsa verba, sed doctrinam tantum omnibus hisce capitibus (10—18) tradi; nam si ipsi suis verbis Valentiniani loquerentur, non extarent verba *οἱ δὲ ἀπὸ Οὐαλεντίνου*. Cum ceteris tamen huius capitis argumentum arte coniungi e verbis *σῶμα ὤφθη* apparet. Fortasse Clementis auctor, qui haec omnia conscripsit, capitis 16 materiem ipse desumpsit ex commentariis evangelii haereticis. — capp. 17. 18 totius disputationis quasi apices sunt; neque enim solum corporum spiritalium vel mixtiones esse ostendit auctor, sed etiam Salvatorem corpus esse (p. 337, 22 Sy III, 432, 22D 11, 18R: *ὁ σωτὴρ ὤφθη*, cf. p. 336, 27 Sy III, 429, 18D 8, 3R: *τὸ τοίνυν ὁρῶν* sq. et p. 336, 14 Sy III, 428, 23D 7, 2R: *οὐδὲ μὴν οὐδ' αὐτός*). — p. 337, 23 Sy III, 432, 24D 11, 20R: *ἐν τοῖς δεξιοῖς*, ut locus significetur, neutrius generis esse debet, cf. exc. cap. 40; Cl autem licet de dextra et sinistra parte loquatur (pp. 206, 24 Sy II, 325, 6D; 208, 23 Sy II, 332, 13D, cf. Matth. 20, 21; Cl p. 241, 10 Sy III, 29, 27D, cf. Isaiae cap. 6, 2), tamen utramque in Deo respuit notionem *καίτοι καὶ ταῦτα γέγραπται* p. 248, 45. 46 Sy III, 56, 24. 25D.

Hisce causis fretus capp. 10—18 haereticis tribuo. Qui sic docuisse ob eam causam mihi videntur, quod tota theologia eorum ex mythologia orta est, cuius figmenta formis corporibusque egere nequeunt. Neque enim obliviscendum est verbis illis, quae magni in doctrina momenti essent, ut *φῶς*, *πῦρ*, *πνεῦμα*, non tam accurate aut spiritales res aut corporeas significatas esse quam apud nos. Ceterum quod aeonum

nulla fit mentio[1]), vides, quantum iam ecclesiae doctrina valuerit. — Quod ὁ *Μονογενής* et ὁ *πρωτότοκος* eadem persona sunt (p. 336, 24 Sy III, 429, 13D 7, 21R) ut p. 335, 44. 45 Sy III, 427, 12—14D 5, 7. 8R, et quod cap. 16 (p. 337, 14 Sy III, 432, 5—7D 11, 1—3R) similis doctrina obvia est atque p. 342, 19 sq. Sy III, 449, 1 sq. D 30, 24 sq. R, haec capita satis recentia sunt.

Neminem credo fugiet capp. 4, 5 et 18 in eadem re versari; quaeritur enim, qua forma Salvator apparuerit, negatur discrimen esse inter caelestem Christum et *τὴν παρουσίαν τὴν ἐνταῦθα.* Itaque, cum nusquam videam Clementem sua proferre nisi sic, ut praemissae haereticorum doctrinae opponat, unum vel duo folia credo transposita esse, capp. 4—8 autem suum locum post cap. 18 tenuisse. Iam continua fit prologi Iohannei interpretatio, potestque coniungi cap. 9 cum tribus primis (p. 335, 1 Sy III, 424, 15D 1, 15R: *ἑνοποιοῦσαν εἰς πίστιν*).

Excerptorum auctores ut iam accuratius cognoscamus, a titulo proficiscamur.[2]) Atque de Theodoto quidem quam Zahnius protulit coniecturam (l. i. p. 125), probare aut reprobare neque possum neque cuiusquam interest; ceterum egregie de hoc viro disputavit. Cuius doctrina, quae fuerit, exc. capp. 30, 35 minime edocti, capp. 1, 22, 26, 32 utamur. Atque ut cap. 1 (cf. cap. 26)

---

1) Quod sexus differentia in terra tantum extare dicitur (p. 336, 18 Sy III, 429, 2D 7, 9R), ab aeonum doctrina videtur abhorrere. Neque omnino aeonum rationem Cl in excerpendo habuit, res non nomina scrutatus.

2) De eis exc. capitibus, quibus Irenaeus habet quae respondeant (capp. 6. 8, 19, 43—65), alio loco fusius agam.

sine dubio a Clemente ex ipsius Theodoti libro quodam exscriptum est, sic Clementis manum exc. p. 338, 6—8 Sy III, 435, 1 sq. D 14, 12—15 R agnosco: *ἐδέησεν δὲ λυτρώσεως καὶ τῷ Ἰησοῦ* sq. Neque enim ille, de quo Theodotus loquitur, Iesus est, sed Christus (cf. pp. 338, 9—11 Sy III, 435, 6—10 D 14, 18—22 R; 339, 13 Sy III, 438, 23 D 18, 22 R; Iren. I, p. 101 Harvey ect.); neque baptismatis Iesu in doctrina Theodoti locum fuisse infra demonstrabitur; immo Cl, ut nonnulla conscriberet de Iesu secundum Valentinianos baptismate (p. 338, 5—8 Sy III 434, 29—435, 3 D 14, 10—15 R), pro *Χριστῷ* Theodoti posuit *Ἰησοῦν*. Neque enim ea quae antecedunt (p. 338, 5. 6 Sy III, 434, 29—31 D 14, 10—12 R) huc pertinent. Nam cap. 22 *βαπτίζεσθαι* et *λυτροῦσθαι* promiscue usurpantur: itaque, quod angeli *βαπτίζονται ἐν* (non *ἐπί*!) *λυτρώσει τοῦ ὀνόματος* sq., nullo modo nomen salvatur, sed angeli tinguntur. Quid igitur *ἡ Χριστοῦ λύτρωσις* secundum Theodotum? Dicitur Christus (Iren. I, p. 100 Harvey) *ἀποκόψαι ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν σκιάν*; quae res quam facile potuerit de *λυτρώσει* intellegi, apparet ex exc. p. 340, 7 Sy III, 441, 17 D 22, 4 R: *ὅτε γὰρ ἐφωτίσθη ὁ ἄνθρωπος, τότε εἰς τὸν κόσμον ἦλθεν . . ., χωρίσας αὐτοῦ τὰ ἐπισκοτοῦντα . . . πάθη.*

Ille autem Christus, qui in pleroma ascendit, *Λόγος* audit, id quod ex Iren. I, p. 33 Harvey concludo (*Λόγου, τουτέστι τοῦ Χριστοῦ*); deinde hoc verbum ad *Ἰησοῦν*, qui Sophiam format hominesque servat, translatum est; cf. Iren. I, p. 23 Harvey: *τὸν Ἰησοῦν, ὃν καὶ σωτῆρα προσαγορευθῆναι, καὶ Χριστὸν καὶ Λόγον πατρωνυμικῶς*; sic exc. capp. 16 (*τὴν τοῦ Λόγου σάρκα*) et 1. Hic gradum sistamus.

Marcus et Ophitae, quamquam Iesu ex virgine ortum cognoverunt, divinam illam personam, quae ecclesiam crearet, in baptismate descendisse putarunt (Iren. I, p. 149, 150 et 238, 239 Harvey). Sic primum quidem, cum in Oriente degeret, et Valentinum docuisse credo. Ac secundum Marcum in baptismate etiam semen ecclesiae in ipso Christo descendit; plane ita Irenaei de Valentinianis auctor, quem I, p. 60 Harvey sequitur: *γεγονέναι δὲ ἐν αὐτῷ καὶ τὸ ἀπὸ τῆς Ἀχαμὼθ σπέρμα πνευματικόν.* Similiter dicit Theodotus (exc. cap. 1) cum Verbo semen spiritale descendisse: hoc autem, cum Salvator nasceretur, ita factum esse, ut semen illud Iesu corpus existeret vel vestimentum[1]); ergo duabus rebus Theodotus commotus est, ut doctrinam novaret: ecclesiae initium non Christi baptismate, sed ortu factum esse concessit; et quaestionem illam, quaenam ratio intercederet inter utrumque Christi corpus (hominem visibilem dico et ecclesiam), solvere conatus est. Iuvat addere antiquissimam huius quaestionis tractationem in Pauli ad Colossenses epistula, qualem Marcion legit (1, 21. 22): *νυνὶ ἀποκατήλλαξεν*[2]) *ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ διὰ τοῦ θανάτου, διὰ τῆς ἐκκλησίας σῶμα ἀντὶ σώματος ἀλλάττων.* Nam sic Tertullianus (II, 331 Oehler) restituendus: ʻnam et supra reconciliari nos ait ʻin corpore eius per mortemʼ; utique

1) Ophiticam doctrinam etiam a Theodoto servari, apparet ex p. 334, 49 Sy III, 424, 8 D 1, 7 R: *τὴν σοφίαν* (vide commentarium).

2) Sic legit Marcion, non *νυνὶ δὲ ἀποκατηλλάγητε* (vel *ἀποκατηλλάγημεν*); cf. ea, quae paulo supra Tertullianus interpretatus est ʻcreatori redigit in gratiamʼ.

in eo corpore, in quo mori potuit per carnem, mortuus est, non ⟨putativo⟩, 'per ecclesiam' plane propter ecclesiam, 'corpus commutando pro corpore' carnale pro spiritali.' Verba '*διὰ τῆς ἐκκλησίας*' (ut nostrum 'in gestalt der kirche' cf. exc. p. 338, 27 Sy III, 436, 11 D 15, 26 R: *διὰ τοῦ σαρκίου*) sic intellegit Tertullianus, quasi sint *διὰ τὴν ἐκκλησίαν* — sic Theodotus antiquiorem doctrinam secutus est, recentiores Theodotum; ab eo enim Valentinianorum occidentalium doctrina pendet, qualem Iren. I, p. 52 Harvey et exc. capp. 58 et 62 praebent. Illi demum auctores, quibus Iren. I, p. 60 Harvey, Cl exc. cap. 61 p. 342, 19 Sy III, 449, 1 D 30, 24 R usi sunt, baptismi rationem habuerunt; ergo Theodotus nihil de hac re docuit.

Iam videamus, quid inter eius doctrinam et occidentalem intersit. Compara cap. 1 cum capp. (58 et) 62: iam vides psychicorum notionem ab occidentalibus additam esse. Hos a demiurgo creatos esse putaverunt, psychicum Christum a Marcione fortasse mutuati. Secundum antiquiorem doctrinam Sophia carnem animamque creat (exc. cap. 2), secundum hosce demiurgus (exc. cap. 50); sed p. 341, 6—8 Sy III, 444, 27—30 D 26, 4—7 R sic inter substantiam animae et animam formatam distinguitur, ut in antiquiore doctrina alteram Feminae fetum, alteram demiurgi opificium fuisse videas, cf. canonem illum Valentinianorum in Hippolyti refutatione haeresium p. 187, 84—87 Miller; psychici et pneumatici secundum exc. cap. 61 p. 342, 24 Sy III, 449, 10 D 31, 9 R Sophiae passiones erant. Itaque secundum antiquissimam doctrinam neque psychicorum neque demiurgi notio tantum locum obtinebat, quantum postea; immo

ecclesia idem videtur fuisse atque semen spiritale (cf. exc. cap. 41, p. 340, 2—4 Sy III, 441, 10—12 D 21, 21—24 R; cap. 42, p. 340, 10 Sy III, 441, 24 D 22, 10 R, ubi fideles tantum et infideles distinguntur; p. 340, 13 Sy III, 441, 30. 31 D 22, 16. 17 R; Iren. I, pp. 51. 73 Harvey). Vidit fortasse Valentinus antiquae ecclesiae *ἐνθουσιασμὸν* vigere et evanescere.

Neque solum Theodoti, sed etiam orientalis doctrinae scriptis Clementem in excerpendo usum esse e titulo apparet. Atque verba quidem *κατὰ τοὺς Οὐαλεντίνου χρόνους* ideo apposuit Cl, ut antiquos auctores significaret. Doctrinam enim in dies magis mutatam esse Iustinus testatur (in dial. cum Tryphone 139 A), qui Valentinianos sic Marcosiis adiungit, quasi nulla inter utrumque magistrum ratio intercedat. De orientalium autem et occidentalium Valentinianorum discrimine male ab Hippolyto docemur (l. i. p. 195, 94—13 Miller). Recte narrat secundum occidentales *ψυχικὸν* fuisse Christi corpus: sic e. g. exc. cap. 59; nec falso in hoc corpus descendisse spiritum in baptismo: sic. e. g. Irenaei auctor I, p. 60 Harvey. Et spiritale Christi corpus fuisse (secundum orientales) etiam Hippolyti syntagma tradidit (sic Bardesanes docuit, cf. etiam tertiam Pauli ad Corinthios epistulam); sed illa, quae Hippolytus addidit de corporis spiritalis formatione Lucae verbis (1, 35) expositis, occidentalium sunt, ut tota Philosophumenon narratio: cf. exc. cap. 60. — Plane Useneri coniecturae assentior (religionsgeschichtliche untersuchungen p. 141), qua utriusque scholae doctrinam ex duplici ipsius magistri doctrina natam esse putet. Sed Valentinum inde ab initio, cum in Oriente degeret,

vix ita docuisse, ut Bardesanem, supra recte e Marci Ophitarumque doctrina mihi videor effecisse. Immo orientales Hippolyti prope absunt ab illa Valentini sententia, quam Eulogius servavit (vide Hilgenfeld l. i. p. 302) . . . ἡμεῖς γὰρ τοῦ ὁρατοῦ καὶ ἀοράτου μίαν εἶναι τὴν φύσιν φαμέν; cf. exc. cap. 7 p. 335, 45. 46 Sy III, 427, 14D 5, 9R τοιοῦτος ὢν ἑκάστῳ τόπῳ, οἷος κεχωρῆσθαι δύναται. Neque igitur substantiae visibiles et invisibiles distinguntur, sed totum discrimen in videntium vel cogitantium natura positum est; neque docetismum Valentinus docet, licet Marcionem secutus unam Christi naturam defendisse videatur. Hanc igitur doctrinam, cum seni Valentino ascribam, iuvenis esse ea verba credo, quae Hilgenfeld l. i. p. 297 excripsit: ‘πάντα ὑπομείνας ἐγκρατὴς [ἦν] θεότητα Ἰησοῦς εἰργάζετο’. Tantum enim abest, ut spiritale corpus significet, ut adoptianismum potius tueatur.[1]) Novit sane doctrinam, qua Salvator deus sit; sed divinam naturam (τὴν ἀφθαρσίαν) labore (ἐγκρατείᾳ) comparatam esse dicit. Sic docuisse videtur, priusquam Ophiticam haeresin amplecteretur.

Utut res se habet, fieri potest, ut ἀνατολικὴ διδασκαλία non solum Bardesanis et Axionici sententiae appellentur; sed etiam ipsius Valentini antiquior doctrina. Hanc excerptorum capp. 1—9, 19—28 tenes, hanc capp. 29—41. Quae autem capp. 42—65 leguntur, cum sint italicae scholae, id quod ex Irenaei simili enarratione apparet, miraberis de titulo. Sed italica illa

1) Hoc fragmento usus sic corrige acta Thomae p. 34, 23 ed. Bonnet: Ἰησοῦ ὁ ἐπιδεόμενος ὥσπερ 〈ἄνθρωπος τροφῆς〉 (Matth. 4, 2) καὶ σῴζων ὡς ἀνενδεής.

assumpta esse videntur non a Clemente, sed a conscriptore Orientalis doctrinae (capp. 29—41); is de Deo mundo hominibus Christo continuam enarrationem compositurus[1]), prioris partis titulum toti libello imposuit.[2])

Quod ut probem, hos affero locos, quibus orientali doctrinae Italorum sententias intexuit: 1) p. 339, 10 Sy III, 438, 15. 16 D 18, 15. 16 R Sophiae proles vocatur *σκιά*; sed non solum umbram, sed etiam Christum ab ea prolatum esse secundum antiquam doctrinam ex Iren. I, p. 101 Harvey apparet. Itaque p. 339, 9—11 Sy III, 438, 14—19 D 18, 13—18 R quae legis, ut non antiqua, Italica esse credo. — 2) p. 339, 14. 15 Sy III, 438, 25—27 D 18, 24—26 R Christus cum Paracleto coniungitur; exc. cap. 23 Paracletus omnino non extitit, priusquam Christus, ut fieret, petivisset. Eiusdem nominis aeonem (Iren. I, p. 11 Harvey) vix conscriptor significat, sed sidus illud pleromatis (ibid. p. 23). Vides, quid factum sit. Antiquae Valentini doctrinae, quam fabulae similem iusto ordine processisse Heinrici bene dixit, actus disiunxerunt locisque mutaverunt Italici. — 3) capp. 39 et 40 plane diversa docent; cap. 39 mascula et feminina sic distinguntur, ut illa sint *τῶν ἐκλεκτῶν τὰ ἀγγελικά, ὑπὸ τοῦ ἄῤῥενος προβληθέντα*, haec *τῶν κλητῶν τ. ἀ.*, a Matre prolata; cap. vero 40 sic, ut illa sint *τῶν σπερμάτων τὰ ἀγγελικά*, haec *τὰ σπέρματα τῆς ἐκκλησίας* (i. e., ut ita dicam, *τῶν σπερμάτων τὰ ἀνθρώπινα*).

---

1) Iam Heinrici vidit excerpta tripartita esse 1) capp. 1—28; 2) capp. 29—65 (= 29—41, 42—65); 3) capp. 66—86.

2) Similiter ut italica etiam Theodotea adiecisse videtur (capp. 30. 32. 35).

Utraque doctrina etiam c. 21 confunditur (p. 337, 43—45 Sy III, 434, 3—6 D 13, 8—12 R): *ἀφ' ἧς τὰ μὲν ἀῤῥενικὰ ἡ ἐκλογή, τὰ δὲ θηλυκὰ ἡ κλῆσις* (ut cap. 39); *καὶ τὰ μὲν ἀῤῥενικὰ ἀγγελικὰ καλοῦσιν, τὰ θηλυκὰ δὲ ἑαυτούς, τὸ διαφέρον πνεῦμα* (ut cap. 40). Non nego cap. 39 sententiam recentiorem esse — nam distinctio illa pendet a vetere *τοῦ δείπνου τῶν γάμων* notione Iudaica — tamen, capitis 40 doctrinam cum Italicam esse videam (cf. Iren. I, p. 41 Harvey), hac quidem in re concedo antiqua ab occidentalibus servari. — 4) Verbis *τὰ διαφέροντα σπέρματα . . . μήτε ὡς πάθη . . . προεληλυθέναι* (p. 339, 51. 52 Sy III, 441, 4—6 D 21, 15—17 R) fortasse notat auctor capitis 61 doctrinam. — 5) Difficillimus locus est p. 340, 1—3 Sy III, 441, 7—11 D 21, 19—23 R; neque enim, licet *ἔχει* verbum ad *σπέρματα* referas, Sophiae prolem, intelleges, quanam cognatione semina cum Iesu coniuncta sint, nisi *διὸ καὶ τὴν οἰκειότητα ἔχει* (p. 340, 1 Sy III, 441, 7 D 21, 19 R) sq. etiam ad p. 339, 50 Sy III, 441, 3 D 21, 14 R (*προεβάλλετο*) referenda esse videris, et post *προεβάλλετο* hoc fere ex Iren. I, p. 39 Harvey i. e. ex occidentali doctrina addideris: *δύναμιν γὰρ ἔλαβεν ἐκ τῆς ἐπιφανείας αὐτοῦ*. Quod si recte statui, enuntiatum relativum (p. 340, 2 Sy III, 441, 10 D 21, 21 R *ἐν ᾧ* sq.) non a *Χριστῷ* pendet, sed a *Ἰησοῦ*. Nam Christus iam in pleromate versabatur, cum semina proferrentur. Contextu igitur iubemur Italicam agnoscere doctrinam. Obiter adicio, quod munus seminis sursum portandi hoc loco Iesus suscipit, eo in antiquiore doctrina Christum functum esse. Dicit enim Marcus (Iren. I, p. 150 Harvey) de Iesu baptismate: *κατελθεῖν εἰς αὐτὸν ὡς περι-*

στερὰν τὸν ἀναδραμόντα ἄνω καὶ πληρώσαντα τὸν δωδέκατον ἀριθμὸν (Christum significat, non Iesum), ἐν ᾧ ὑπάρχει τὸ σπέρμα τούτων ⟨τῶν⟩ συσπαρέντων αὐτῷ καὶ συγκαταβάντων καὶ συναναβάντων. — Ceterum e verbo συνδιυλίσθη elucet, quantum in hac doctrina, vel Theodoto fortasse antiquiore, baptisma valuerit, quod voce διυλίζεσθαι sollemniter significatur: tunc κατὰ δύναμιν tingebantur semina, in Iordane κατ' ἐνέργειαν. Adde, quod hoc fortasse loco usus Theodotus potuit loqui aliquo modo de Christi λυτρώσει: cf. quae de p. 338, 6—8 Sy III, 435, 1—3 D 14, 12—15 R disseruimus.[1])

Capp. 69—86 doctrinam continent dualisticam, cuius fundamentum est astrologia, finis autem sacramentorum expositio (huc pertinet etiam cap. 86; nam p. 344, 22 Sy III, 455, 20 D 38, 22 R baptismatis mentio fit; huc capp. 67, 68, quae exegetico libro eiusdem auctoris desumpta sunt, cf. p. XVI). Hanc doctrinam si quis arbitretur aliquo modo pendere a Bardesane (cf. Hilgenfeld. l. i. p. 521), temporum ratio non repugnat. Ceterum, quod p. 343, 14 Sy III, 451, 25—27 D 34, 14 R daemones cum latronibus comparantur, subesse videntur verba Iustini, quae Tatianus (p. 20, 15—17 Schwartz) tradidit: καὶ ὁ θαυμασιώτατος Ἰουστῖνος ὀρθῶς ἐξεφώνησεν ἐοικέναι τοὺς προειρημένους (daemonas sc.) λησταῖς; quae Grabius (spicil. II, 149) e Iustini contra Graecos oratione desumpta esse recte suspicatus est; in ea, quae hodie servatur, cohortatione non leguntur. Itaque de tem-

1) Theodoretus (haer. fab. 357 B Migne) haec exc. verba, ni fallor, respexit: καὶ τοῦτο (sc. τὸ πνευματικὸν κύημα) ἀνέδραμεν ἄνω; Theodotum memorat ibid. 357 D.

pore, quo haec capita scripta sint, nihil certi possum affirmare.

Excerpta e Theodoto nunc uno servantur libro Laurentiano, qui est codex III plutei V, fol. 361^{r}—377^{v}. Deperditus nunc est liber Augustanus, ex quo, cum ex Clementis scriptis contineret excerpta, Davidius Hoeschel nonnulla cum Sylburgio communicavit, non gravia quidem illa, sed a Florentino diversa. Bene egit de hoc codice Zahnius l. i. pp. 118. 119. — Ediderunt excerpta: Petrus Victorius 1550, Sylburgius 1592, Potterus 1715; Bunsenus in Analectis antenicaenis I 1854 egregia Bernaysii ope adiutus; Dindorfius 1869. Mihi, ut et ipse edere conarer, auctor erat Usenerus, qui summa qua est humanitate non solum eas lectiones mecum communicavit, quas invenerat (cf. etiam rel. unters. passim), sed etiam in ipso opere perficiendo indefessus fautor a falsis me deterruit, ad vera adduxit, sua contulit. Codicis collationem novam Henricus Rostagno, philosophiae doctor, bybliothecae Laurentianae custos, benignissime instituit.

NOTARUM EXPLICATIO.

L codex Laurentianus plut. 5 cod. 3.
V Victorius.
Sy Sylburg.
Bu Bunsen.
Be Bernays.
D Dindorf.
Us Usener.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. In Plat. Cratylo 396 C (p. 21, 26 Schanz) deleo verba: *καὶ τῷ οὐρανῷ ὀρθῶς τὸ ὄνομα κεῖσθαι.*

II. In Tertull. de testim. an. l. (c. 2 s. f. I, p. 137, 15 Reiff.) pro calcias scr. caelitas.

III. In Tertull. adv. Marc. l. V (c. 9 II, p. 299 Oehl.) sic scribo: ceterum corpora aut ignibus statim auferri (aut ferris: BC, aut feris: cet.) aut sq.

IV. In Iren. I, p. 236 Harvey post Noream verba sic credo Graece restituenda esse: *καὶ τὴν Ὡραίαν.*

V. Iambl. de vit. Pythag. § 39 (p. 28, 14—29, 2 N. *πολλοὺς δὲ καὶ τῶν ἄλλων μυθοποιῶν* sq.) ad Hes. Theog. vs. 924—929 refer.

VI. In inscr. Mus. Rhen. Bonnensis, quod apud universitatem servatur (cat. no 126) pro DLỌcente extare videtur: DIScente.

VITA.

Natus sum Paulus Ruben Hamburgi Idib. Mart. a. h. s. LXVI patre David, matre Mathilda e gente Bromberg, quibus superstitibus gaudeo. Fidem profiteor Iudaicam. Literarum elementa privatim doctus a. h. s. LXXII scholam collegii Iudaeorum Hamburgensis adii quae Talmud Tora vocatur. A. LXXX in gymnasium Iohanneum receptus sum quod tum Hochio rectore florebat, praeest ei nunc F. Schultess, studiorum meorum fautor benevolus. Vere a. LXXXV maturitatis testimonio instructus Friburgum Brisg. migravi, ut literis antiquis studerem; hieme eiusdem anni Bonnam petii. Docuerunt me vv. dd. de Holst Schmidt Friburgenses, Buecheler Kekulé Luebbert † Nissen Reusch Schwartz Usener Bonnenses. In Bonnense seminarium philologum receptus per quater senos menses sodalis ordinarius fui Buecheleri Luebberti Useneri benignitate; seminarii historici sodalem semel me fecit Nisseni humanitas; exercitationibus ut interessem epigraphicis benigne concessit Buecheler.

Quorum omnium gratam semper servabo memoriam. Buechelero autem et Usenero ut beneficiorum aliquando gratiam reddam, fore despero.